

~~G. 1124~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

V-37

SIGNAT. MDCCCXIII.

באלוים

DISCURSUS LOGICUS
DE
SUPPOSITIONE
STATV & AMPLIATI
ONE,

50

Quem

Consensu Amplissimæ Facultatis Philosoph. in
florentissimâ & celeberrimâ Academiâ Brege-
lanâ, quæ Regiomonti Borussorum est,

SUB PRÆSIDIO

Eximij & Præstantissimi

Dn. M. MATTHÆI RACK-
SCHANI, Fautoris ac Præceptoris
sui ætatem colendi,

Placide Bonorum disquisitioni subjicere

ELIAS LANII
Thuroceno-Ungarus

1577

Ad diem Maij horis matutinis.

REGIOMONTI,

Typis JOHANNIS REUSNERI,

Anno M. DC. XLI.

*Reudo Domino Johanni Lochmanno, Fautorij
Mittit Autor.*



VIRIS

*Magnificentiâ, Nobilitate, Amplitudine, Prudentiâ
florentissimis, Patriæ Patribus eminentissimis.*

Dn. STEPHANO ASGUTHI, D. Dubravi-
câ, Nobilissimi Comitatus Zoliensis Vice - Co-
miti gravissimo &c. Domino Patrono mihi gratiosissimo.

Dn. STEPHANO SOOS, de Polthar, Domi-
no in Garambszeg, Equiti Aurato, SAC. CÆS.
REGq; MAJ. Aulæ Familiari, &c. Domino Mecænati suo
clementissimo.

Dn. MELICHIORI OSTROLUCKI, de Ea-
dem &c. Domino Evergeti suo jugi subjectione &
observantiâ suspiciendo.

Dn. FRANCISCO MISCOCI, Civi Liberæ
Regiæq; Civitatis Veterosoliensis meritissimo;
Domino Promotori officiosè colendo.

Dn. JOHANNI KOSSELÆ, Civi ac Senatori
Civitatis Solnensis primario; Domino Ayuncu-
lo singulariter colendo,


Dn. ANDREÆ STRANOWSKI, Civi itidem
Solnensi laudatissimo; Domino Affini honora-
tissimo,

*Hasce studiorum Academicorum primitias, debiti
cultus & observantiæ contestandæ ergô, cum ser-
vitorum suorum indefessa promptitudine, sub-
missè dicat & consecrat.*

Autor & Respondens,



Προάυλιον.



ert animus in arenam lo-
gicam descendere, ac nobilissi-
mam doctrinam de Suppositione
Statu & Ampliatione à Scholasti-
cis Doctoribus in Summulis nobis
exhibitam, placidæ ventilationi
subjicere. Non sum equidem ne-
scius, nec diffiteri possum, ab hujus doctrinæ cognicio-
ne plurimos hæctenus absterruisse perplexā Scholasti-
corum & Summulistarū obscuritatem, quā nimium tu-
diculam (*quod est in proverbio*) expoliendo, sibimet
ultrò labores otiosos ac inutiles fecerunt, indefactum
ut præcepta traderent (*verba sunt Cl. Philosophi & Theo-
logi, Dn. Licent. Hornei de Processu disp: cap. 4.*) de vocum
acceptione alia, quæ usus rectè loquendi planè respue-
ret, alia, quæ ipse ille per se suppeditaret; ut rectè de his
& magna eorum parte dici potest, quod in re non val-
de ablimili Augustinus alicubi scribit: *facilius homines
ea assequi, propter quæ assequenda ista discuntur, quam alium
Præceptorum nodosi ssumas & spinosissimas disciplinas.* Unde
Jesuitæ etiam Juniores, de Scholâ illa veteri conquæ-
runtur, Fonseca enim lib. 8. inst. Logicarum c. 19. dicit.
*adeo ea esse inculta, horrida & ab usu remota, quæ superioris æ-
tatis homines in hisce sunt commenti, ut nisi plurima rejiciantur,
satiùs sit ea prorsus non attingere:* & Petrus Hurtadus de
Mendoza disp. 2. Summul sect. 5. §. 20. *hac in parte*
scribit, intolerabiles sunt Summulistæ, tot regulis, divisionibus

A 2

ac de

ac definitionibus onusti, ut nihil videantur efficere, nisi commi-
nisci tenebrarum machinas ad debellandos Tyronum animos ne
audeant in tam tetrum chaos pedem inferre. Atq; hæc pro-
culdubiò causa fuit, cur nostri Logici, vel nihil, vel par-
cissimè hac dere scripserint. Cum verò notum sit, to-
tam propositionem non intelligi, si vox una, & præ-
fertim principalis aliqua ejus pars, non rectè accipiatur,
& in vocum acceptione erret, etiam qui præcepta Grā-
matica, & rationem loquendi ac Idiotismos linguarum
sufficienter norit, idq; in omnibus disciplinis; non
prorsus sanè nobis abs re visum est & fruge, aliquam &
quidem quantum è spinis Summulistarum eruere, & à
nebulis eorundem vindicare licuit, hac de materia
Dissertationem instituere Logicam, cum præsertim
non videam an quicquam magis à Sophisticis insulti-
bus nos muniat, quam hujus doctrinæ cognitio non
superficiaria, sub his etenim & similibus nominum la-
tibulistanquam ad fraudem *εὐφροσύνης καὶ δημοσιωτάτοις* in-
sidiari plerumq; agnovit illos veritatis prædunculos
Aristoteles l. i. Soph. Elench. c. 1. Quibus verò hæc
mortualia præficarum videntur, iis hoc Sophisma ob
oculos pono, ex quo expediant se si possunt & vincant.
Valentini Gentilis novi Ariani, hoc proponit argu-
mentum (citante acutissimo Philosopho & Theologo
magno, Dn. Doct. Dannhawero in Idea Boni Disp. Sect.
I. Cap. 2. art. 2.) Bellarminus lib. 2. de Christ. c. 7.
Verus in essentiâ DEUS nec gignit, nec gignitur, nec procedit.
A. Unus in essentiâ DEUS & gignit & gignitur & procedit. E.
Unus in essentiâ DEUS non est verus DEUS. At is est verus
DEUS E. is nec gignit, nec gignitur, nec procedit. Quid re-
spondebunt? Nonne quatuor Terminorum hunc Syl-
logismum accusabunt? Utiq;: sed unde nôrunt subesse
quatuor

quatuor terminos, nisi doctrinam suppositionis imbuti fuerint. Ab hac ergo instructi, videbunt in Forma magnam esse *ἀσυνλογισίαν*, ex Suppositionis nimirum mutatione oriri quatuor Terminos: in maiore namque verus in essentia DEUS vel supponitur Simpliciter, pro immediato significato quod est essentia, ita major vera est, essentia enim divina præcisè sumpta nec gignit, nec gignitur, nec procedit; minor verò in eadem Suppositione accepta, est falsa. Vel, vox DEI supponitur personaliter pro mediato significato, videlicet pro personis divinis, hoc sensu, is qui verus DEUS est, nec gignit, nec generatur, nec procedit, ita major falsa est, minor vera. Eadem ratione magnum discrimen est, inter has propositiones, nullus DEUS est tres personæ, & DEUS non est tres personæ, prior vera est, quia supponitur personaliter, h. e. nulla persona divina est tres personæ, posterior falsa, quia supponitur simpliciter: sicut non idem est dicere, nullus homo est Species & homo non est Species. Sed quid verbis opus est? quis enim candoris amans nobiscum non fatebitur hanc doctrinam maximè inservire cum ad proprios conceptus exprimendos, tum ad aliorum innotescendos. Ne igitur per ambages longaque exorsa morer benivolum Lectorem rem ipsam aggrediar. Sic ergo *σὺν θεῷ*.

THESIS I.

Suppositio est substitutio termini, in propositione, pro suo significato.

§. 1. Advertendum hic in limine Suppositionem differre à significatione: nam omnis effectus significat suam causam, at pro illa non supponitur. Cum enim

A 3

quis

quispiam videt fumum, & ex eo concipit ignem; fumus ei est signum ignis; at pro quo supponitur fumus; ut rectè observat. Hurtad. de Mendoza disp. 2. summul sect. 1. Item; cognitio est naturalis objecti repræsentatio, cum ipsa pro nullo supponatur. Nam ea est repræsentativa objecti ex se, ad quod pro nullo alio subrogatur. Ratio à priori, quia ratio signi solum est ducere potentiam in notitiam rei significatæ, supponi autem est constitui ad faciendum pro alio, quod erat ab ipso faciendum.

§. 2. In propositione Definitiva duo pensitanda veniunt, & quidem I. *Subiectum s. Definitum* quod est *Suppositio*, quæ dicitur à supponendo, eo quod vox in Oratione plerumq; subrogetur, substituatur aut sufficitur in locum alterius, nempe rei per ipsam significatæ: cum enim fieri non potest, ut res ipsas & conceptus seu terminos mentales in mediam disputationem adferamus, igitur nominibus vice rerum utimur tanquã notis & in harum locum illas subrogamus, sicut Sphæra in Astronomiâ sufficitur pro Cælo ipso. Sphæra enim demonstrat Astronomus, non de Sphæra: sicut mercatores in vicem verorum nummorum calculis æneis uti solent, quæ est similitudo Philosophi lib. 1. Soph. Elenh. c. 1.

§. 3. II. *Predicatum s. Definitio strictè* sic dicta & Definito contradistincta. Dantur autem in ea duo conceptus quidditativi, quorum *alter est determinabilis*, habens rationem potentiaë s. materiaë, *alter determinans*, sustinens habitudinem actus seu formæ: siquidem omnis Definitio pluribus partibus constat, quibus inadaquatè definitum notificatur. Estq; I. *Conceptus determinabilis*, qui *Terminò technologicò Genus* dicitur, h. l. *Substitu-*

Substitutio. Circa quod adverte, Generis loco poni hic substitutionē, ut sic, prout nimirū ea præscindit à Suppositione Materiali, in qua vox supponitur (extensa scilicet verbi hujus significatione, ad quamcunq; vocis acceptionem) pro se ipsa: & Formali, in qua vox capitur, pro re per ipsam significata.

§. 4. 2. *Conceptus determinans*, qui artis termino *Differentia* vocatur; desumitur hic à Suppositionis (1.) *Objecto*, quod est vox seu Terminus. (2.) *Affectione*, in verbis illis in propositione; & ratio est, quia hæc proprietas etsi Terminis simplicibus conveniat, non tamen convenit illis, nisi in Oratione, maximeq; in Secunda mentis Operatione positus, ut ex dicendis unicuiq; satis superq; constare poterit. Additur (3.) Pro suo significato; his arcemus à Definitione Suppositionem Materialem, utpotè quæ de adæquato & immediato Objecto Logicæ nihil participat, ut rectè quoq; monet Fonsæca lib. 8. c. 22. hoc Suppositionis Genus sine scelere prætermitti à Logico posse. Nam Nomen Logicum est vox significans, seu est signum doctrinale, quod juxta *Augustinum* præter speciem, quam sensibus ingerit, aliquid aliud extra se facit cognoscere, cum nihil propriè sit signum sui ipsius.

THESIS II.

Suppositio dividitur in Materialem & Formalem, Formalis iterum est duplex: Simplex, (in quâ quidam descensum Copularum concedunt) & Personalis, in quâ triplex datur Descensus: Distributivus, Copulativus & Confusus.

§. 5. Multiplicat has Acceptiones vocum, vulgò genera ac species Suppositionis dictas, Fonsæca & alii

lii, sed frustra: Entia enim citra necessitatem non sunt multiplicanda, & qui leget, quid hâc de re Mendoza scripserit, is ultrò fatebitur nulla multiplicatione opus esse, sed sufficienter, sinequè ullo terminorum abusu totam hanc doctrinam ita tradi, cum satis commodè reliquæ Species Suppositionis ad has primarias revocari possunt, At quod dictum si quem subtilitatis illecebra illectavit, adeat Jesuitam citatum disp. Summul. secunda.

§. 6. Divisio autem nostra fluit ex Suppositionis subjecto quod est vox; in omni jam voce quia duomenti nostræ se se insinuant, nimirum ipse sonus vel Scriptura, *quod instar Materiæ* est, & ejus significatio, *quod instar Formæ*, hinc resultat *Suppositio Materialis & Formalis*.

THESIS III.

Suppositio Materialis est substitutio vocis pro se ipsâ; *ut Homo est Nomen, ubi τὸ: Homo supponitur, non pro re quæ homo est, sed pro voce.*

Suppositio Formalis est acceptio vocis pro re per ipsam significatâ, *ut Homo est animal, hic Terminus verificatur, non de ipsa voce syllabis aut apicibus, sed de ipsa significatione, in quantum exprimit aut denotat aliquid in vocibus significatum, nempe rem extra intellectum in naturâ existentem, quæ animal est.*

§. 7. Obsevandum hic (I.) Suppositionem Materialem aliàs dictam esse ab Hunnæo Græco vocabulo, civitate latina jam etiam donato, Technicam, q. d. artificiosam & dolosam, & ratio est: quia nimirum ista vocis usurpatio, ad fallendum est aptissima, eo quod dictum de voce, facillimè capitur tanquam dictum de re
signi.

significatâ, & sic Sophistæ illa velut arte quadam & fraude ad technas & captiones utantur, (2). Eandem duabus notis à Dialecticis indicari, nimirum vel per articulum Græcum τὸ, quem anteponunt termino quem materialiter capi volūt, ut, τὸ Homo; vel per antiquum articulum Gallicum, apud Parisienses etiam in Scholis & alios graves Autores usitatū, Ly; ut, ly Animal.

THESIS IV.

Suppositio Simplex est acceptio vocis, pro suo immediato significato; Personalis verò est acceptio vocis, etiam pro suis significatis mediatis.

§. 7. Advertendum I. in genere cujuslibet vocis sensum esse geminum: immediatum unū; alterum mediatum. *Immediatus* est, qui audita voce illicò à mente concipitur intellectuiq; se se objicit, v. g. cum dico: homo est species, intellectus noster non vagatur per inferiora, de quibus τὸ homo dici potest, sed sistitur præcisè, stat nimirum pro homine ut sic, id est pro nuda & simplici humana essentia, non considerando hūc vel illum hominem in Individuo, sed ab ijs abstrahendo, communemque aliquam ideam repræsentando. *Sensus mediatu*s est, is qui demum per consequentiam denotatur, v. g. cum dico: Homo est animal, τὸ homo, iterum supponitur, pro vera natura & essentia humana, verum non prout præscindit ab inferioribus, sed prout in singulis individuis reperitur. Atq; hinc duplex rursus nata est Suppositio. Si etenim hominem sumo, in naturâ seu conceptu communi, vel ut Metaphysici loquuntur, in *Actu signato*, oritur Suppositio

B

Sim-

Simplex, si verò eundem considero, quatenus sub suæ
significationis ambitu complectitur Petrum, Paulum,
Johannem, oritur Formalis.

§. 8. II. In specie (1.) *circa Simplicem*, eandem di-
ctam esse à modò tendendi in Objecta, nihil in iis effi-
ciendo, sed ea præcisè ac simpliciter considerando. Un-
de etiam hæc Suppositio à quibusdam *Immobilis* dici-
tur, quia in ea non licet descendere ad inferiora, for-
mando singulas & integras propositiones: spectantq;
huc omnes prædicationes, in quibus notio secunda,
prædicatur de prima, ut Animal est Genus. (2.) *circa*
personalem, eandem dici, ratione Termini ad quem, quia
in illà licet usq; (inclusivè) ad personas Singulares de-
scendere, hæc tamen verba accipienda sunt, non abso-
lutè; sed comparatè, quia significata s. res significatæ
in hac Suppositione, si comparentur cum significatis
suppositionis Simplicis habent se instar personarum,
cum illa significata sint instar naturarum simplicium,
sive potius ipsæ naturæ simplices.

§. 9. Ex his Suppositionum generibus desumitur
hæc regula.

Non est mutandum Genus Suppositionis.

Ratio est: quia alioquin in Syllogismo orirentur qua-
tuor Termini, contra Canonem hæctenus à Logicis &
diligenter expositum & constanter defensum, nimi-
rum: nullus Syllogismus plures vel pauciores Termi-
nos, vendat tribus. Ex posito iam Suppositionis Ca-
none, conatus est non nemo ostendere, omnem Syll-
ogismum primæ Figuræ quatuor constare Terminis;
fundamento hoc posito: quod Medius Terminus in
prima Figura, in majore propositione distribuatur, in
minore autem confusè sumatur. Verum quid hac de
re

re statuendum sit, alio dicetur loco. Hæc de Suppositione, sequitur Descensus.

THESIS V.

Descensus in genere est consequentia, aliqua, quâ explicatur vox per ea pro quibus actu sumitur; *qui triplex superius est constitutus.*

Distributivus in specie est consequentiâ, quâ vox aliqua trahitur ad significata sua singula singulatim accepta.

§. 10. Estq; porro hic Descensus duplex; in *Singula generum* vel *Genera singulorum*. *Distributio in singula generum* est subrogatio vocis, pro omnibus Individuis contentis sub aliqua ratione communi. *Distributio* verò in *Genera singulorum* est subrogatio vocis, pro omnibus generibus & speciebus, non autem pro Individuis. Sic in Scriptura S. cum Apostolus agit 1. Tim. 2 v. 4. DEUS vult omnes homines salvos fieri, item v. 6. qui tradidit semetipsum precium redemptionis pro omnibus, vox omnis seu hominis, quæ reticetur, supponitur pro singulis generum, estq; sensus; tradidit se non pro omnis tantum generis hominibus, aut aliquibus omnium nationum, aut ut Beza interpretatur, quibus vis hominibus, sed pro omnibus simpliciter, seu omnibus omnis generis hominibus. At cum dicitur 2. Reg. 8. v. 9. Chazaël legatus Benhadad Regis Syriæ ivisse, in occursum Elisæi, habens secum munera & omnia bona Damasci, vox bona supponitur pro generibus singulorum, non pro singulis generum, ut sensus sit; omnia bona Damasci habens, id est, omnis generis bona quæ Damasci erant.

THESIS VI.

Descensus Copulativus seu Copulatus est consequentiâ, qua vox trahitur ad significatâ suâ (*non singula singulatim sed*) omnia conjunctim accepta.

Confusus seu disjunctivus est consequentiâ, qua vox trahitur ad significata sua vagè, per particulas disjunctivas aut, vel.

§. 11. Adverte 1. Multum interesse inter *Descensum Distributivum & Copulativum*, id quod ex hoc exemplo satis superquè unicuique constare potest: Nullus equus requiritur ad equitandum, quæro verane hæc sit an falsa? Sanè tutò neutrum asserere licebit, non enim (1.) videtur esse *vera* quia falsum est nullum equum requiri ad equitandum, quid enim quæso requiritur, si equus non exigitur ad equitandum? non (2.) *falsa*, quia verum est, nullum equum requiri ad equitandum, nam neq; Bucephalus est necessarius, cum posses attoni in Pegasus, neq; ad saltus toluares aut decursiones aliàs necessariò exigitur Pegasus, cum posses equitare Gaii Imperatoris incitato. Imò si cominus haberes omnes in universo mundo equos; de singulis tamen dicere liceret, hic equus non est necessarius ad equitandum: ille non est necessarius ad equitandum, &c. ut tandem concludere necesse habeas in universum, nullum equum esse necessarium ad equitandum. Igitur ne infortunii ballistam tibi Sophista intendat, distinctè responde, hanc scilicet propositionem diversimodè exponi posse 1. *Distributive*; & tunc esse veram, ut jam jam probatum est, 2. *Copulate* & tum à vero ablu-

dere.

derē; quod falsum omninò sit, si quis asseveret, nec hunc, nec istum, nec illum &c: nec quemvis alium in universo mundo esse necessarium ad equitandum. Et si enim hic vel iste non sit necessarius, aliquis tamen est necessarius. 2. Luculentum itidem apparere discrimen inter *Descensum Confusum & Distributivum*, in his duabus propositionibus: uterq; oculus est in capite: uterq; oculus requiritur ad visionem, in priori oculus supponitur distributivè in posteriori confusè, id quod experientia doceret, si vel maximè Logicorum regulæ tacerent: fac periculum & ipse judica.

§. 13. Descensum Disjunctivum Mendoza propter Summulistas duplicem facit: alterum vocat, *Disjunctivum*, cum à Confusa descenditur ad singularia, cujus veritas reperitur in uno singulari determinato, ut aliquis homo currit, reperitur veritas in solo Petro aut Paulo currente: alterum verò *Disjunctum* cujus veritas in nullo determinato reperitur, sed in omnibus Confusè, ut aliquis oculus requiritur ad videndum.

§. 14. Ex his Suppositionum Speciebus sumitur hoc Axioma celeberrimum, quo pleræq; Syllogismorum regulæ nituntur:

A non distributo ad distributum. N. V. C.

Sensus est nihil concluditur ex illis propositionibus, in quibus Termini (*Subiecta propositionum*) non sumuntur distributivè, ita ut in inferiora sua spargi possint. Fundamentum est dictum de omni & nullo, quod ex toto partem, non ex hac illud deducit. Hæc de Suppositione sequitur de Statu & Ampliatione Propositionis.

THE SIS VII.

Status est acceptio Termini, pro tempore eodem, quod significatur per verbum propositionis. *Statui opponitur Ampliatio.* Est verò ea nihil aliud quam acceptio Termini pro diverso tempore, ab eo quod significatur per verbum propositionis.

§. 15. Non esse hanc doctrinam *ὡπὲρ οὗτος σκιαῖς* liquet vel ex illo, quod olim in Cæna Tauri Philosophi Atheniensis quæsitum accepimus, *quando moriens moreretur? an cum jam diem obiit, an tùm cum adhuc viveret, vel certè agonizaret?* Quid obsecro, assumes? an primum? Ergone mortuus moritur, id est bis vita defungitur? an alterum? Ergone vivens moritur? Atqui verò oppositorum unum de altero nulla ratione efferri potest. An utrūq; ergo utroq; modo in absurditatis nascā incidet, quid si neutrū assumeres cum Platone, qui hoc tēpus (de quo nobis sermo) nec vitæ, nec morti dedit? verum & sic causā cecidisti, cū necesse sit animā aut esse aut non esse in corpore. Ex senticetis istiusmodi & similibus captiosè incautos deludentib; nihil te æquè in planam viam deducet, quam Status & Ampliationis cognitio non superficialia. Ab hujus ergò doctrinæ viatico instructus, utrumq; tuto tibi dicere licebit, & viventem mori hoc sensu, qui vivit aut certè paulò ante vixit moritur: & mortuum esse morientem cum hac Ampliatione mortuus vel est moriens, vel certè paulò ante moriens fuit.

§. 16. (I.) Sed Exemplis gravioribus id quod dicimus, illustremus. Vera in Theologicis est propositio: *ἄωλοι περιπατοῦσι* claudt ambulanti, si dextre explicetur
ut

ut sensus sit, id est, qui fuerunt claudi Matth. ii. v. 5.
Item Exod. 7. v. 12. *Coluber est virga*, h. e. id quod modò
fuit coluber, vel quod mox in colubrum est rediturum,
est virga. Item Joh. 19. v. 30. *Consumatum est* scil. opus
redemptionis & tamen adhuc vixit, h. e. in quod jam
jam consumabitur, est etiam id quod erit opus redem-
ptionis, ex qua etiam genuina sensus expositione, re-
felluntur ii, qui mortem Christi ad Satisfactionem pec-
catorum nostrorum, non necessariam esse contendunt.
Plura sunt his similia passim in Scriptura. Abutuntur
etiam hâc eadem doctrinâ in Transubstantiationis
machinâ Pontificii, quando hanc propositionem: *Pa-
nis est corpus meum*, sic exponunt, ut panis intelligatur,
is qui fuit panis. Quod si itaq; propositiones Hereticæ
rectè discernendæ sunt à Catholicis, utiq; definitiones
supra allatas, ignorare non oportet.

(2.) De Ampliatione tenendus est hic Canon:

*Cum prædicatum evertit suum Subjectum, tum Enuncia-
tio si vera esse debeat, per Ampliationem est intelligenda, alio-
quin propositio constitueretur falsa; quo etiam Cano-
ne præsentem hancce Dissertationem (uberius in ipso
Disputationis actu diducendam) obfirmamus.*

Ἦν θεῶν μόνω δοξα.

Ad Præstantissimum & Literatissimum

**Dn. ELIAM LANII, Dissertationis hujus Au-
torem & Respondentem, Fautorem & Ami-
cum suum.**

Nunc furor & vitium laxis bacchantur habenis,
Et multis Bacchus, Marsq; Venusq; placent.

Sed

Sed tibi quid placeat, tua jam conamina monstrant,

O LANI, Chariti care, mihiq̄ simul.

Vivat io, vivat genitor clarissimus in te;

Sit vivax virtus, patria fama simul!

F. Honoris ergò

PRÆSES.

Sedulus Aönidum, laudo id, versaris in agris

LANI, Pannonum parsq̄ decusq̄ virum.

Nam quantum Sophiæ tribuas, quantumq̄ laborum

Impendas studiis, hæc mihi charta probat.

Perge bonis avibus, cœptum nec desere cursum,

Sic Patriæ quondam commoda magna feres.

M. JOHANNES POLANI.

LANIUS per ἀναγε. IS, LUNA.

Auguror! ut noctis tenebras illustrat opacæ

LUNA, viatorem concomitando suum.

Sic Tu discuties errorum fervidus umbras

Hoc studio, & Patriæ commoda multa feres.

IS bene, contendas porro decurrere cœptam

Metam, sic Patriâ digna brabea feres.

His Dno. Resp. Conterraneo & Contubernali

suo applaudere placuit

PAULO LOCHMANNO.

ELIAS LANI ἀναγεαμμαθηκῶς LILIA SANE

Vix satis esse putas, Charitum gemma aurea, LANI,

Quod sis sat docto nobilis ortus avo.

Sed SANE sanas pervolvit cordibus artes

Ut patrios videas non sine laude focos.

LILIA, Breglânis quæ doctè spargis Athenis,

Sunt quondam Patrio grata futura Solo.

Præstantissimo Dno. Resp: Amico fraternè

honorando apposuit.

SAMUEL CZERNACK.

Ung. VI 37


ULB Halle
003 913 872 3




Sl.

V3 17







OGICUS

IONE
PLIATI

ltatis Philosoph. in
Academia Brege-
orussorum est,

ÆI RACK-
c Præceptoris

endi,
tioni subji-
ANII
ngarus

ris matutinis.

NTI,
EUSNERI,
XLI.

*Lochmanno, Sautori
Mittit Autor.*

50

1577